

Universitätsbibliothek Wuppertal

Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.

Descriptio Iurisconsultorum ex Hottomanno

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1733)

DESCRIPTIO EORVM I.

C. QVI A POMPONIO, SVB TITV- LO DE ORIGINE IVRIS ENVMERAN- tur ex Hottomanno.



SPAPYRIVS Iurifconsultus, Tarquinio Superbo regnante floruit. Is leges omnes à Regibus latas in ordine redegit, vnumque in librum coegit, qui liber iccirco ius civile Papyrianum appellatus est. Pompon. l. 2. §. 1. & §. 18. de orig. iur. videtur is fuisse Papyrius quem Dionysius Halicarnassensis scribit primum Regem sacrificulum creatum fuisse, quem Manium appellat. Superbum autem non Demarati filium, ut Pomponius: sed nepotem, Liuius, pronepotem Dionysius appellat.

A. P. CLAVDIVS, Decemvir Iurifconsultus an. CCCIII. quo leges 12. tabularum conscriptae & constitutae fuerunt. Eius maximum in iis legibus conscribendis consilium extitisse, Pomponius tradit l. 2. §. 18. de orig. iur.

HERMODORVS, Ephesius Iurifconsultus, legum quae à legatis Romanis ex Graecia ciuitatibus allatae sunt, quae in Italia tum forte exulare, interpres fuit. ob eamque causam statua ei in comitio dicata est. Plin. lib. 34. cap. 5. & Pomp. l. 2. §. 1. II. de orig. iur. vbi tamen auctorem scribit pro adiutorem, socium, interpretem Strabo, 14. de Ephesiis commemorans: Ἄνδρες δ' ἀξιολόγοι γερύνασιν ἐν αὐτῇ. τῶν μὲν παλαιῶν ἠρακλειτὸς ἢ ὁ σκολεινὸς καλέμενος ἢ ἐρμόδορος. περὶ δ' οὗ αὐτὸς φησιν, ἀξίον ἐφεσίους ἢ ἐνδὸν ἀπαρχαζαδῶν, οἵτινες ἐρμόδορον ἄνδρα ἐαυτῶν ὀνήσιον ἐξέβαλον, φάντες: ἡμετέραν μηδεὶς ὀνήσιον ἐσῶ. εἰ δὲ μὴ ἄλλη τε καὶ μὴ ἄλλων. δοκεῖ δ' ἔτι ὁ ἀνὴρ νόμους πένες ῥωμαίους συρτάλαι. Id est. In ea viri fuere memorabiles, è veteribus quidem Heraclitus cognomine obsecutus & Hermodorus. de quo ille ipse loquens. Digni sunt, inquit, omnes ad vnum Ephesij quibus laqueo gula frangatur: qui Hermodorum virum inter ipsos utile exilio multarunt: dicentes nemo nostrum vtilis esto: alioqui alio in loco & apud alios sit. Fertur etiam is leges quaedam Romanis conscripisse.

A. P. CLAVDIVS CAECVS, Cenfor fuit, Sulpitio, Sempronio Consul. anno ab V. C. CDXLIX. Primus actiones, i. formulas de usurpationibus scripsit: scribae suo Cn. Flauio suasis, ut Fastorum tabulam exscriberet, eamque promulgaret. Plin. libr. 33. c. 1. & Pompon. l. 2. §. 18. de orig. iur. Tribonianus autem in eadem l. §. 3. scribit eum legis actiones proposuisse, quarum librum surreptum postea Cn. Flauius populo tradiderit.

C. N. FLAVIVS, Cn. F. scriba, Iurifconsultus, Sulpitio, Sempronio Cos. anno ab V. condita CDXLIX. Is patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir & facundus Aedilis curulis fuit, civile ius repositum in penatibus Pontificum euulgauit, fastosque circa forum in albo proposuit: ut quando lege agi posset, sciretur. Ob id munus Aedilis curulis & Tribunus plebis creatus est. Liuius libr. 9. extremo, Cicero pro Murena, Gellius lib. 6. c. 9. Plin. lib. 33. c. 3. Tribon. l. 2. §. 3. de orig. iur.

P. SEMPRONIUS SOPHVS Iurifconsultus Cos. cum P. Sulpitio Sauerione, anno ab V. condita CDLIX. Pomponius scribit in l. 2. §. 18. hunc à populo Rom. Sophum esse appellatum, nec quenquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatum esse. quum tamen plures in consulum tabulis hoc cognomine afficiantur, & constat Atilium, Laelium & Catonem sapientes cognominatos fuisse.

T. CORVNCANIVS Iurifconsultus, consul cum P. Valerio ab V. condita, CDLXXII. Primus ius civile docere ac profiteri cepit, quum priores id in latenti retinere cogitarent, solumque consultatoribus vacare. Pomp. l. 2. §. 18. de orig. iur. Cic. in Bruto scribit ex Pontificum commentariis intelligi eum longè plurimum ingenio valuisse. Idem in li. de Oratore 3. Pontific. Max. eum fuisse tradit, ad eum eiusque similes de omnibus diuinis atque humanis rebus referri solitum: eundem & in Senatu, & apud populum, & in causis amicorum & domi, & militiae consilium suum fidemque probasse. Eadem fere in Epitome Liuiana XVIII.

Q. FABIVS Iurifconsultus, cuius ad Carthaginenses legatio celebratur: Cornelio, Sempr. Cos. an. DXXXII. nam quum essent duae testerae positae, vna pacis, altera belli, arbitrio sibi dato, vtram mallet referre Romam, vtramque sustulit & ait: Carthagin. petere debere vtram mallet accipere. Haec Pomp. Aliter tamen Gellius li. 10. c. 27. aliter et Polybius li. 3. Liui. li. 21. & Appian. li. de bellis Hisp.

S. EX. AELIVS PAIVS CATUS Iurifconsultus. Consul fuit cum T. Quinctio Flaminio, an. DLI. qui propter iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est. Egregie condatus homo Catus Aelius sextus: ut ait Cic. li. de Ora. 1. qui in Bruto hunc quoque ait Iuris quidem civilis peritissimum, sed et ad dicendum paratum: & Tusc. prima hunc eundem versum profert. Varro autem in li. de Ling. 6. Cata inquit, acuta, hoc. n. verbo Sabini dicunt, Quare Cat. Aelius Sextus, non, ut aiunt, Sapiens: sed acutus. Pomp. autem his verbis, Sextum Aelium et Fannius laudauit, & extat illius liber, qui inscribitur Tripartita, qui liber veluti cunabula iuris continet. Tripartita autem dicitur, quoniam lege 12. tabularum praeposita, iungitur interpretatio, dein subtextitur legis actio. eiusdem esse tres alij libri referuntur. quos tamen quidam negant eiusdem esse, Plin. verò li. 33. c. 2. L. Pauli qui Perseum deuicit, generum ait fuisse, & eum legati Aetolorum in consulatu praudentem in fictilibus missa ab his vasa argentea non accepisse, neque aliud habuisse argenti ad supremam vitam diem, quam duo pocula, quae L. Paulus focer ei ob virtutem donasset.

P. AELIVS PAETVS Iurifconsultus, consul fuit cum Cn. Cornelio, an. DLIIX. apud Liuium li. 32. & Pomp. Plin. lib. 18. c. 18. Plutarch. in Africano.

P. A. CILIVS Iurifconsultus. Cic. in Laelio: Scimus L. A. C. cilium apud patres nostros appellatum fuisse sapientem, quia prudens esse in iur. civil. putabatur. Hunc quoque primum à populo sapientem appellatum fuisse, Pomp. scribit. Meminit Cicero in Catone li. de offi. 2. De diuin. 1. Epitoma Liuiana 49. Nonnullis tamen in libris Atilius nominatur.

P. CORNELIVS SCIPIO NASICA Iurifconsultus consul fuit cum M. Glabrione, an. DLI. adolescens nondum Quaestorius optimus in ciuitate iudicatus est, eidemque publice domus in sacra via data, quo facilius consuli possit. Liuius lib. 29. & Pomp. l. 2. §. 10. de orig. iur.

M. PORTIVS CATO, Iurifconsultus consul fuit cum Lucio Valerio an. DLV. Iuris civilis peritissimus fuit, ut Cic. ait li. de Orat. 1. libros et de iure reliquit, ut scribit Pompon. d. l. 2. Eius res gestas Plutarch. in vitis exponit, & Liuius li. 33. & 34. Sed maxime li. 39. Ex quo Elogium hoc Catonis nostri quin describam, facere non possum, In hoc viro tanta vis animi ingenijque fuit, ut quocumque loco natus esset, fortuna sibi ipse facturus fuisse videretur. nulla ars neque priuata nec publica rei gerendae ei defuit. Vrbanas, rusticas artes pariter callebat. ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id vnum diceret quodcumque ageret, in bello manu fortissimus, multisque in signibus clarus pugnis: idem posteaquam ad magnos honores peruenit, summus Imperator idem in pace si ius conuulseret, peritissimus: si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum cuius lingua viuo eo vigeret, monumentum eloquentiae nullum extet, viuit imo, vigeretque eloquentia eius, sacra scriptis omnis generis, orationes & pro se multa & pro aliis & in alios, nam non solum accusando sed et causam dicendo fatigauit inimicos. Simultates nimio plures & exerceuerunt eum & ipse exercuit eas, nec facile dixeris, vtrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. Aperi procul dubio animi & linguae acerba, & immodice libera fuit: Sed iuncti cupiditatibus animi, & rigidae innocentiae, correptor gratiae, diuitiarum, in parsimonia, in patientia laboris periculi; ferrei prope corporis animique: quem ne senectus quidem, quae soluit omnia, fregerit: qui sexum & octogimum annum agens, causam dixerit, ipse pro se orauerit scripseritque, octogesimo anno Ser. Galbam adduxerit in iudicium.

M. PORCIVS CATO Iurifconsultus, Marci superioris filius, Is praetor designatus patre viuo mortuus est, Plurimos in iure civili libros reliquit. Gellius li. 13. c. 18. Pomp. de orig. iur. Cic. de Orat. secund. Huius ea creditur fuisse

Descriptio Iuriconsultorum

regula que Catoniana in nostris lib. appellatur li. Dig. 34. ut legatū nō valerēt, si testamenti facti tēpore testator decessisset: quādocunq; is decedat non valeat. Celebratur et eius de diuiduis & indiuiduis stipulationib. disputatio in l. 4. Il. de ver. obl. Citatur & a Iust. li. i. Inst. ti. de adop. Paulo l. 44. Sol. matr. Vlp. l. 10. de adil. edi. Celfo l. 18. de ver. fig.

P. MUTIVS SCAUOLA I. C. Consul fuit cū L. Calpurnio, ann. d c x v i i. & Pontifex Max. fuit, quo an. Tiber. Gracchus interfectus est, decē de iure libellos reliquit, Pomp. d. l. 2. Cic. de Orat. 2. & pro Cæcina, de legib. i. de natura Deor. 3. Pomp. l. v. de iur. immunit. Alcon. Verrin. 2. Interijt eo morbo que phthiriasim appellant. Plutarch. in Syl.

M. IVNIUS BRUTUS I. C. vir Prætorius fuit, septemq; vt ait Pōp. reliquit libros. Cæsar tamē apud Cic. li. de Orat. 2. audisse se ait ex Scauola cū diceret tres duntaxat veros Brutilibros fuisse. in eod. libro Bruti in iure describendo ratio imptatur, q; hypotheses nō theses exponeret. Eius meminit Cic. pro Cluent. li. Epist. 7. famil. Gel. li. 18. c. 7.

M. MANILIUS I. C. Cōsul fuit cū L. Marcio Cælorino an. d c i. Tres in iure reliquit libros, Extabāt et Pomponij ætate volumina inscripta Manilij monumēta. Hūc Crassus li. de Orat. 3. scribit se vidisse transferto ambulante foro: quod erat insigne eū qui id faceret, facere ciuib. omnibus consilij sui copiā, cōsulatus et in Bruto meminit. Gellius et doctrinā li. 18. c. 7. Cic. eius librorū de Mācipiis vēdendis de Orat. 1. Varro de re rustic. persæpe.

P. RUTILIUS RUFUS I. C. Consul fuit cū M. Manilio, an. d c x l v. M. Manilij de quo diximus discipulus, vt Pōp. testatur. Cic. in Brut. scribit, eū magnū de iure respondendi munus sustinuisse, eiusq; operā atq; industriā propterea gratiorē fuisse. Memoratur eius iniusta damnatio, quod eū Ambitus a Scauro accusatus esset, noluerit suam causam ornatius dici, quā simplex veritatis ratio postulabat, qua de re li. de Orat. 1. in Bruto. de nat. deorū 3. de finib. 2. Tuscul. 4. Officio. 2. pro Plantio, pro Balbo, in Pisonē, pro Fonteio, pro Posthum. pro Cluentio, Valer. lib. 2.

PAVLVS VERGINIVS I. C. Hic apud Pomp. numeratur: corruptē, mea sententia, cū isto modo nominetur nemo, Paulus præterea Æmiliorū est cognomē. Quā aut Cic. in Bruto Scaurū Rutilio adiungat Panatij discipulum & conuictorē appellet 3. de Orat. & Pōp. hoc loco Panatij auditores enumeret, haud scio an pro Scaurus Vigilius repositus aliquis Paulus Verginius.

Q. ÆLIUS TUBERO, L. Pauli Nepos P. Africani sororis filius I. C. Triumuir agris, opinor, ex lege Sempronia diuidundis fuit. Hūc in Bruto Cic. Stoicū & doctū. in disputādo fuisse scribit. Crassus aut in li. de Orat. 3. Dies, inquit, & noctes virū summa virtute & prudentia videbam? Philosop. quū operā daret, Q. Tuberonē. Pompo. aut Panatij auditorē appellat, vbi tamē, Pansæ deprauate legitur: vt quod sequitur qui & ipse consul, nā in consuli recē sione Tubero nō nominatur hoc tēpore, videnturq; hæc verba potius ad Scaurū pertinere, Cic. in li. qui in scriptis est, De iure ciuili in arte redigēdo, verba hæc posuit, Nec verō scientia iuris maiorib. suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. Hoc ex Gellio li. i. c. 22. Historia de eo insignis refertur a Cicerone in ea pro Muræna.

SEX. POMPEIVS I. C. Cn. Pompei Magni patruus fuit, Hic, vt ait in Bruto Cic. præstantiss. ingeniu contulit ad summā iuris ciuilis, & ad perfectā Geometriæ & rerū Stoicarum scientiā. Hunc eundem in li. de Orat. 3. Stoicū appellat, & in li. i. Eruditum hominem in Philosophia.

L. CAELIVS ANTIPATER I. C. Scriptor, vt ait in Brut. Cicero, vt temporibus illis luculentus, fuit iuris valde peritus, Multorū et vt L. Crassi, magister. Pomp. eū scribit maiore eloquentiā quā scientiā iuris operam dedisse, nam ad Historiā scribendā animū appulit, cui maiore quā superiores sonū vocis adidit, vt ait Cic. li. de Ora. 2. & de l. r.

P. LICINIUS CRASSVS MUTIANUS I. C. Consul fuit cū L. Valerio, an. d c x i x. cognomento diues, P. Mutij filius, & P. Mutij Scauolæ Iuriconsult. frater germanus, a P. Licinio Cras. adoptatus, domi a Patre & fratre ius ciuile didicit, in eo industriā constat summā fuisse, maximamq; gratiam, quū & cōsuleretur plurimū & diceret, eloquens et fuit. Hæc ex Cic. Brut. & i. de Orat. Gell. aut li. i. c. 13. autor est, Historicos plerosq; scripsisse, habuisse illū quinq; rerū bonarū maxima & præcipua: quod esset ditiss. quod nobiliss. quod eloquentiss. quod iuriconsultiss. quod Pōtif. Max. Pomp. aut hunc scribit a Cic. dici Iuriscōsultorū disertiss. falso, nam de L. Crasso M. Antonij æquali loquitur in Bruto his verbis, vt eloquentiū Iurisperitiss. Crassus Iurisperitorū eloquentiss. Scauola putaretur. Meminit Velleius li. 2. Cic. in Catone, ad Attic. li. 5. Philip. 11. Valer. li. 3. c. 6. Epitome Liu. 59. Strabo lib. 13. Eutrop. li. 4. Florus li. 2. c. 22.

Q. MUTIVS SCAUOLA I. C. Cōsul fuit cū L. Cæcilio an. d c x x x i i. Scauolæ filius Pont. Max. itē vt pater, iuriscōsultissimus, vt idē. Sic. n. Cic. in li. de legib. 2. scribit. Pomp. aut hunc ait primum ius ciuile constituisse, generatum in libros 18. redigendo, Cic. in Lælio tradit eum primū Augurem deinde Ædilem cum L. Crasso fuisse: Item li. offi. 2. & de consulari, de Orat. i. meminit, Appianus autem lib. ἐμφυλ. a scribit eū C. Marij iussu occisum in Tiberim pro iectū esse, itemq; Lucan. li. 2. Velleius li. 2. Florus li. i. c. 23. Valer. lib. 9. & 8. Cic. de Nat. Deor. 3.

C. AQUILIUS GALLVS I. C. Prætor de ambitu quaestionem exercuit, cū eius collega Cic. esset: vt ipse in Cluentiana testatur, Hunc Q. Mutij Pont. Max. auditorē fuisse Pomp. tradit. Cic. autem in Bruto, Ser. Sulpitij præceptorem in iure, hominē acutum & exercitatum, prompta in agendo & respondendo celeritate præditū fuisse, ab eo ipso prolata est de dolo malo formula, quam idē li. de Natura Deorū 3. & de off. 3. uerriculum malitiarum omnium appellat. eius extat laudatio in Orat. pro Cæcina, his verbis: Hoc loco percommode accidit, quod non adest is qui paulo ante affuit, & adest nobis frequenter in hac causa solet, vir ornatis. C. Aquilius. Nam ipso præsentē, de virtute eius & prudentia timidius dicerē, quod & ipse pudore quodā afficeretur ex sua laude, & me similis ratio pudoris a præsentis laude tardaret, cuius auctoritati dictum est ab illa causa concedi nimium non oportere, Verēor de tali viro ne plus dicam, quā vos aut sententiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, nunquam eius autorit. nimium valere, cuius prudentiam pop. Ro. in cauendo non in decipiendo perpexerit: qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate seiuixerit: qui tot annos, ingeniu, laborem, fidē suam pop. Ro. promptā expositamq; præbuerit: qui ita iustus & bonus vir est, vt natura non disciplina consultus esse videatur: ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili, non scientia solum quedam, verum et bonitas nata videatur: cuius tantū est ingenium, ita prompta fides, vt quidquid inde haurias, purum liquidumq; te haurire sentias. Eiusdē iudiciū singulare Valer. li. 8. c. 2. commemorat fuisse, rem tamen nō aperit. Is est de quo Cic. in Topicis memoriā tradidit: si quis ad eum quid tale retulerat, vt de facto quæreretur, ad Ciceronem inquit. Significans Iuriconsultos non de facto, sed de iure consuli oportere.

L. LUCILIUS BALBUS I. C. L. Mutij auditor a Pomp. nominatur: a Cic. autem in Bruto Ser. Sulpitij cum C. Aquilio in iure præceptor. vbi hunc doctū & eruditum hominem appellat, & tum in agendo, tum in respondendo cōsiderata tarditate præditum meminit idē li. ad Attic. 8. Sed qui in libris de Nat. Deorum disputat Qu. Balbus, & huiusce, vt videatur frater.

SEX. PAPHYRIUS I. C. inter Seruij Sulpitij præceptores a Pomponio numeratur.

C. IUVENTIVS I. C. a Pomp. inter Seruij Sulpitij præceptores numeratur. Cic. autē in Bruto T. Iuuentium Iurisc. nominat quē alium ab hoc fuisse ratio temporū declarat. Multis. n. post hāc Seruij iuuentutem annis numeratur. In eodē genere, inquit, causarum multum erat T. Iuuentius, nimis ille quidem lentus in dicendo & penē frigidus, sed & callidus, & in capiendo aduersario versutus, & præterea nec indoctus, & magna cum iuris ciuilis intelligentia.

SER. SULPITIUS I. C. Consul fuit cum M. Marcello, an. d c c i i. Hic præceptores adolescens habuit in iure Aquilium, Balbum, Papyrium & Iuuentium vt Pomp. testatur, cuius hæc verba subscribemus: Seruius cum in causis orandis primū locum, aut pro certo post M. Tullium obtineret, traditur ad cōsulendū Quintū Mutiū de re amici sui peruenisse, cumq; eum sibi respondisse de iure, Seruius parum intellexisset, iterū Quin. inrogasse, & a Q. Mut. responsum esse, nec tamē percepisse: & ita obiurgatum esse a Q. Mutio. Namq; cum dixisset turpe esse patrio & nobili, & causas oranti ius in quo versaretur ignorare. Ea velut contumelia Seruius tractatus operā dedit iuri ciu. & plurimū eos de quib. locuti sumus audiit: Institutus a Balbo Lucilio, instructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinæ. Itaq; libri cōplures eius extant Cercinæ cōfecti. Hic eū in legatione perisset, statuam ei pop. Ro. pro Rostris posuit, hodieq; extat pro rostris Augusti, huius volumina cōplura extant, reliquit autē prope centum & octoginta libros. Cic. aut in Bruto eum scribit eloquentiā tantū assumsisse vt ius ciuile facile tueri posset, Nec facile, inquit, quē dixerim plus studij quam illū & ad dicendum, & ad omnes bonarum artium disciplinas adhibuisse. Itē atq; haud scio an pat. principibus esse potuisset, sed

sed fortasse maluit id quod est adeptus, longè omnium non eiusdem modo ætatis, sed eorum et qui fuissent, in iure civili esse princeps, sic. n. existimo iuris civilis magnū sum & apud Scævola & apud multos fuisse, artem in hoc vno quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artē quæ doceret rem vniuersam tribuere in partes, latentē explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primū videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicaretur; Et quæ quib. propositis essent, quæq; nō essent consequētia. Hic. n. attulit hanc artem artium omnium maximā quasi lucem ad ea quæ confusè ab alijs aut respōdebantur aut agebantur. Dialecticā mihi videris dicere, inquit, recte, inquam, intelligis, sed adiunxit etiam & literarum scientiam & loquendi elegantia, quæ ex scriptis eius quorū similia nulla sunt facilimè perspicere potest. Cūque dicendi causa duobus peritissimis operam dedisset L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo, Galli hominis acuti & exercitati promptam in agendo & in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaq; superauit. Balbi docti & eruditi hominis in vtraq; inconsideratam tarditatem vicit expediendis consuecūdisq; reb. sic & habet, quod vterq; eorū habuit, & expleuit quod vtriq; defuit. Hæc Cicero. Idē præterea in Muræniā ostendit, Sulpitiū Quæsturā Præturāq; gessisse; quæstionēq; peculatus ei in Prætura obtigisse. Alconius autē in Argumento Miloniana scribit eum an. d. c. l. v. Cal. Mar. mense intercalario inter regem factū, vt Cn. Pōpeium solū consulē crearet: an. vero insequenti, ipse cū M. Marcello Consul (vt diximus) factus est. Cumq; oppressa à Julio Cæs. ciuitate Athenas se contulisset, tandemq; ab illo restitutus, Græciāq; præfectus fuisset, Romam reuersus est. Legatusq; à Senatu ad M. Antoniū Triumvirū, qui Mutinā D. Brutum obsidebat, missus: vt eum à perditis cōsilijs ad sanitatē pacemq; reuocaret. Qua in legatione interiit, vt ex eius legatione apud Ciceronem intelligitur, quæ Philippica 1x. legitur. Meminit idē li. Epist. fam. 7. ad Attic. 5. Gell. li. 2. c. 10. & li. 6. c. 8.

P. ALPHENVS VARVS I. C. Cōsul fuit cū P. Vinutio an. d. c. c. l. v. vt Pomp. significat, qui Ser. Sulpitij discipulum hunc fuisse ascribit plurimumq; ex ipsius auditorib. auctoritatis habuisse, Gell. quoq; li. 6. c. 5. eiusdē discipulum appellat, eiusq; librū Digestorū trigessimū quartū, & collectaneorum secundum citat, Et eodem pertinet L. cum scriptum 6. D. de dot. releg. Horatius sermonum 1.

Vt Alfenus Vaser omni abiecto instrumento artis, clausaq; tabernæ Sutor erat.

Vbi Acron: Urbane, inquit, Alphenum Vafrum Cremonensem deridet, qui abiecta furrina, quam in municipio suo exercuerat, Romā venit: magistroq; vsus Sulpitio iurisconsulto, ad tantam peruenit scientiam, vt & consultatū gereret & publico funere offerretur. Aliter. Alfenus Sutoris filius, qui ita iuris studio intendit, vt beneficio artis huius latum clauum sumeret, & ad consularem surgeret dignitatem. Sunt qui dicant hunc Cremonensem fuisse. Vaser autem astutus cordatus. Antiqui etiam pro bono hoc dicebant. Alfenum itē alterū ab hoc Lampridius inter Alexandri Imp. consiliarios nominat, Vlpiani, Pauli, Pomponij, aliorum multorum æqualem.

A. OFELIUS I. C. Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pōponio, qui eundem in equestri ordine permansisse tradit: Cæsariq; familiarissimū fuisse & libros de iure civili plurimos, & qui omnem partē operis fundarent, reliquisse. primumq; de legib. Vicefimā conscripsisse, item de Iurisdictione, eundem edictum Prætoris diligēter cōposuisse. Huius Ofilij vxor ea fuisse videtur Clodia, quā Pl. li. 7. c. 48. centum & quindecim ann. vixisse, quindecies autem enixā esse tradit. Meminit Cic. li. Epist. fa. 7. & 16. ad Att. 13.

TITVS CAESIUS I. C. Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pomp. Apud Ciceronem Marcum & Sextum CAESIUM reperio, sed nihil ad nostrum.

AVFIDIUS TUCCA I. C. Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pomp. Cic. Aufidij in Bruto meminit, qui vixit ad summā senectutē eratq; & bonus vir & innocens, sed dicebat parū. Fuit & Tit. Aufid. Asię prætor. in Orat. pro Flac.

AVFIDIUS NAMUSA I. C. Ser. Sulpitij auditor numeratur à Pomp. traditurq; condiscipulorum suorum scripta in centum quadraginta libros digessisse.

FLAVIUS PRISCUS I. C. Ser. Sulpitij auditor à Pomponio numeratur.

LABEO ANTISTIVS CINNO I. C. Ser. Sulpitij auditor à Pomp. numeratur. Tribunus plebis fuit, Sylla & Pō-

peio Cōs. de quo Cic. in Bruto, Rabula, inquit, sane probabilis: qui multos cū tacuisset años, neq; cōtemni solū, sed et solitus esset, in tribunatu primum contra C. Iulij illam consularis petitionē extraordinariam verā causam agens est probatus. Itaq; post Tribunatū primò multæ ad eum causæ, deinde omnes, maximæ quæcunq; erant, deferebantur. Hæc Cicero. Plutarchus autē & Orofius, Appianus itē & Velleius tradunt hunc cū Pompeij Socer esset, vt Syllanum à Marianis interfectū fuisse. Appian. autē lib. ciuilibus quarto extremo factum eius memorabile pro-

dit, quod subiiciam: Λαβειὼν δὲ ἐπὶ σοφίᾳ γνῶσιμος, ὁ πατὴρ λαβειῶν τὸ κατ' ἐμπειρίαν νόμον ἐπὶ νῦν περὶ εὐνοίας, βόθρον ἐν τῇ σκηνῇ τὸ μέγιστον αὐταρκῆ σῶμα ὄρουσάμενος, καὶ τὰ λοιπὰ τοῖς δευράποσιν ἐντεταμένον ἐπέσκεπτε τῆς γυναικὸς καὶ τοῖς παισὶ περιὼν ἐβόλετο, καὶ τὰ γράμματα φέρειν ἔδωκε τοῖς οἰκίταις. τὸ δὲ πιστοτάτην δεξιᾶν λαβόμενος, καὶ περὶ εὐνοίας αὐτὸν ὡς ἐδός ἐστι, ῥωμαίοις ἐλευθερῶν, ὁπρὸς φοιμῶν ἐξῆρ' ἔδωκε, καὶ τὴν σφραγὴν ὑπέχευε, καὶ τὸ δὲ μὲν ἡ σκηνὴ τὰς ἐγένετο.

Labeo verò doctrina & prudentia clarus, pater Labeonis, qui propter iuris civilis peritiam hodieq; celebratur, cū fossam in tabernaculo suo pro corporis sui magnitudine fodisset, vxori ac liberis vt voluit prospexit, literasq; seruis ad eos dedit. Tum eorum fidelissimum dextra præhedit, eumq; circumegit, vt mos est Romanis manumittere, conuersosq; gladiū tradidit, & iugulū præbuit, atq; huic quidē tabernaculū pro sepulchro fuit.

PUBLIUS GELL. I. C. Ser. Sulpitij auditor à Pōp. numeratur in libris Florentinis: corruptè, duarū namq; familiarū hæc nomina sunt. In vulgatis libris, Publius Cæcilius. legendū opinor Publicola Gellius pro Pomponij & ipsius ætatis cōsuetudine, vt sit L. Gelli^o Publicola de quo Cic. in Brut. Nō tā vendibilis orator, quā vt nescires quid ei deesset. nec. n. erat indoctus nec tardus ad excogitandum, nec Romanarū rerū immemor, & verbis solutus satis, sed in magnos oratores inciderat eius ætas, multā tamen operā amicis ac vtilē præbuit, atque ita diu vixit vt multarū ætatum oratorib. implicaretur, multū et in causis versaretur. Hunc Valerius Max. li. 5. c. 9. omnib. honoribus ad censuram vsq; vsus fuisse tradit.

C. TREBATIUS I. C. eques Ro. Ciceronis familiarissimus, ad quæ extant scripta ab eodē Topica & Epistolæ cōplures, omnes propè festiæ & iucundæ. Hunc Pōp. Cornelij Maximi auditore fuisse tradit cōpluresq; reliquisse libros, sed qui parū frequententur. Eiusdē autē tantam auctoritatē apud Augustum fuisse Iustin. sub ti. de codicillis tradit, vt eius fualu atq; consilio codicillorum vsus receperit. extat et Horatij Satyra li. Ser. 2. ad Trebatium Iuriscōsultum, quē, nisi Porphyriōnis me moueret auctoritas, vix hunc eundem fuisse putarē: cum et Acron eū Iurisperitum quendā nominet, Porphyrio vero scribit eum locum obtinuisse inter poetas, & aliquot libros de iure civili cōposuisse, & de religione nouem, citantur autem de religione libri eius à Macrobi. lib. 3. c. 4.

A. CASCELIUS I. C. Quæstorius fuit: nec vltra inquit, Pomp. proficere voluit, cum illi et August. Consularū offerret. Quod aut apud eundem sic legitur, fuit A. Casceli^o Mutius Volusij auditor, deniq; in illius honorē testamento Publium Mutium nepotē eius reliquit hæredem: corruptū. Primū. n. Q. Mutij in secundo casu postulat, qd statim de P. Mutio eius nepote infert, At verò Volusius nō cognomen sed nomē familia fuit. Plin. aut Volcatium nominat huiusce præceptorē li. 8. c. 40. Remedium igitur aut ab antiquo libro, aut ab eruditore aliquo expectem^o. Nunc illud quod Macrobius refert li. 2. c. 16. adiciemus. Cascelius I. C. Vrbانيتatis. Quod aut de Furio & Cascelio prædicatorib. Cic. pro Balbo & Val. Max. li. 8. c. 13. cōmemorant, quos Q. Scævola æquales faciunt, nihil ad hunc nostrum pertinere constat. Huius autē nostri scripta præter vnum librū Benedictorum, Pomp. suo tempore nō extitisse affirmat, Benedicta autem facetas & Acutas Responiones quales superius protulimus, interpretamur.

Q. ÆLIUS TUBERO I. C. patritius, vt ait Pomp. fuit, & à causis agendis ad ius civile transijt, Maximè postquam Q. Ligarium accusauit, nec obtinuit apud C. Cæsare. Is est Q. Ligarius qui cū Africę oram teneret, infirmū Tuberonem applicare non permisit nec aquā haurire, quo nomine eum accusauit, & Cic. defendit. Tuberonē autē cum dicit, patre intelligit. Nam vt ex huius Oratore intelligitur, Q. Ligarius à C. Confidio proconsule prouinciæ præfectus fuerat. Cum autē Actius Varus in eam pulsus à C. Cæsare venisset Q. Tuberonem huiusce patre cui ea prouin-

Descriptio Iurifconsultorum

etiam obuenerat, portu prohibuit. De filio igitur illa Pomp. quib. hæc addit. Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici & priuati, & complures vtriusq; operis libros reliquit, sermone etiam antiquo vsus affectauit scribere, & ideo parū libri eius grati habentur. meminit Cas. li. de bello civili. 1.

ATEIUS CAPITON I. C. quem Pomp. & Tacitus Consullem fuisse produnt, vt valde mirer Cassiodorum & Dionem scriptum habere, an. D. CCLXIII. C. Fonteium cum Germanico Casare. Hunc Tacitus principem in ciuitate locum studiis ciuilib. assecutū tradit li. 3. extremo, principi; ac dominantib. obsequentiore fuisse. P. Op. autē Offitio præceptorū operam dedisse, inque ijs quæ ab eo acceperat, perseuerasse. In eundem M. Pomponij Grammatici memorabile dictū celebratur ab auctore libelli de illustrib. Gramm. Nam cum Pomponium ex oratione repræhendisset, affirmante Ateio Capitone, & illud esse Latinū, & si nō esset, futurum certe iam inde: Mentitur, inquit Capito. Tu enim Casar ciuitatē dare potes hominib. verba non potes. Meminit Gellius lib. 13. c. 12. lib. 4. ca. 14. lib. 10. ca. 20. Macrobi. lib. Satur. 7. c. 13.

ANTISTIVS Labeo I. C. superioris filius à Pomponio Trebatij discipulus fuisse traditur, cōsulumq; sibi ab Augusto delatum recusasse: sed plurimam studijs operam dedisse, totumq; annū ita diuississe, vt Romæ sex mensib. cum studiosis esset, sex mensib. secederet & conscribendis libris operā daret, itaq; quadraginta volumina reliquisset, ex quib. plurima inter manus suo tempore versabatur. Eundem præterea ingenij qualitate, & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis sapientiæ operam dederat, plurima innovare instituisse. Hunc Tacitus li. 3. extremo iuris ciuili scientia Capitonem Ateium antecelluisse scribit, & incorrupta libertate, atq; idcirco fama celebratiorem fuisse, præturamq; cum gessisse tantum: aditum enim ad cōsulatū iniuria illi præclusum fuisse. Iubet et locū Gellij ex li. 13. c. 12. de hoc nostro subscribere. In quadam Epistola Ateij Capitonis scriptum legimus, Labeonem Antistium, legum atq; morū pop. Ro. iurisq; ciuilib. doctum apprime fuisse. Sed agitabat inquit, hominem libertas quadā nimia atq; vecors: vsq; eo, vt diuo Augusto iam principe, & rem publicam obtinente, ratū tamen pensumq; haberet, nisi quod iustum sanctumq; esse in Romanis antiquitatibus legisset. Ac deinde narrat, quid idē Labeo peritiorē à Tribuno plebis vocatus responderit, cum a muliere, inquit, quadam Tribuni plebis aduersum eum aditi Gellianum ad eum misissent, vt veniret, & mulieri responderet: iussit eum qui missus erat, redire, & Tribunis dicere, ius eos non habere, neq; se neq; alium quenquā vocandi: cū morib. maiorum tribuni pleb. prehensionem haberent, vocationē nō haberent: posse igitur eos venire, & prehendi se iubere, sed vocandi absentem ius non habere. Meminit idē li. 20. c. 1. De eodē Suetonius in Augusto his verbis, Antistius Labeo, Senatus lectione, cum Triumvirum legeret Marcū Lepidum hostem olim eius, & tunc exultantem, interrogantem, interrogatus ab eo, an non essent alij digniores, suum quemq; iudicium habere respondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

MASVRIUS Sabinus I. C. Ateio Capitoni successisse traditur à Pomponio, equestremque in ordinem iam natū grandem ac prope quinquagenarium receptum fuisse, & publicè primū de iure respondendo scripsisse, post eum enim hoc beneficium à Ti. Casare cepit. Huic, inquit idem, nec amplæ facultates fuerunt, sed plurimum a suis auditorib. sustentatus est. citantur autem eius libri à Gellio & Macrobio multis locis.

COCCIVS NERVA I. C. Antistio Labeone successisse traditur à Pomponio, Casariq; Tiberio familiarissimus fuisse: quod idem Tacitus li. 5. confirmat, cum. n. li. 4. scripsisset, Cocceium Nervam, Senatorem Cōsulatum functum, cui legum peritia, à Tiberio in Campania proficiscente deductum esse, tum libro 5. Neruā, inquit, cōtinuus principis, omnis diuini humaniq; sciens, integro statū, corpore in læso moriendi cōsiliū cepit. Quod vt Tiberio cognitum, ad sidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo graue conscientie, graue famæ stitā, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vram fugeret: aduersatus sermonem Neruæ, abstinentiā cibi coniunxit. ferebant gnari cogitationum eius quanto propius mala reipub. viseret, ira & metū, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse.

COCCIVS NERVA I. C. superioris filius, traditur ab Vlpiano, ann. ætatis XVII. aut paulo grandior publicè de iure responsisse li. II. de postulando.

C. CASIVS Longinus I. C. Mafurio Sabinō successisse traditur à Pomp. natuq; ex filia Tuberonis quæ fuit neptis Ser. Sulpitij: & ideo proauū suum Seruū Sulpitiū appellasse, Cōsulq; fuisse cum Quartino temporib. Tiberij: sed plurimū in ciuitate autoritatis habuisse eouq; dō nec eum Casar ciuitate pelleret, expulsus ab eo in Sardiniam, reuocatus à Vespasiano diem suū obiit. Hæc Pomp. Tacitus aut li. 12. scribit hunc imperante Claudio Syriæ præfuisse, eaq; repestata cæteris præcelluisse peritia legū, nam militares artes per otium ignota, industriosq; ac igna uos pax in æquo tener. attamen, quantum sine bello dabatur, reuocare præscum morem, exercere legiones, cura prouisum, agere perinde ac si hostis ingrueret. ita dignū maiorib. suis, & familia Cassia ratus, per illas quoq; getes celebrata. Et li. 14. Orationē eius cōmemorat, in Senatu habitam, cum quæreretur, an vetere ex more familiā, omnē Pedanij Secūdi præfeti vrbis, quæ sub eodē tecto fuerat, cum ille à seruo vno interfectus fuisset, ad supplicium agi oporteret. qua oratione maiorū morē retinendum imitandumq; disseruit. At li. 16. Neronem missa ad Senatum oratione remouendum à Rep. Cassiū discessisse, obiecitq; seq; Cassio, quod inter imaginem maiorū etiam C. Cassij effigiem coluisset, ita inscriptā: DVCI PARTIVM. quod idē Suetonius in Nerone scriptum reliquit, adijcitq; eundem Cassium tunc luminib. orbatum fuisse. nec ita multo post. Idem Nero apposuit qui quasi iudices Lepidā Cassij vxorē, Syllani amitam, inæstum cū fratris filio, & diros sacrorū ritus facere denūciarent. Tumq; senatus cōsulato, Cassio exilia decernuntur, deportatusq; in insulā Sardiniam.

CASIVS Longinus I. C. alter à superiore, numeratur à Pomp. qui ex equestri ordine ad præturam peruenit. **PROCVLVS I. C.** à Pomponio traditur Neruæ patri successisse, tantaq; autoritate fuisse, vt cum acceptā à Labeone & Neruæ quasi sectam acerrimè tueretur, qui in eam partem studiosi se dabant, Proculiani vocitati sunt. Quo tempore autem quoq; vitæ genere fuerit, non constat. Tacitus lib. 18. Sub Othone Proculum Prætorij præfectum nominat, Vlpianus autem in L. diui D. de lu. patr. non leuem iuris auctorem hunc appellat. Duos autem patrem scilicet & filium fuisse, confirmari ex l. & Proculo 30. ff. de legat. & fideic. 2. non potest, nam de patre suo Celsus non Proculi perspicuè loquitur.

CAELIVS Sabinus I. C. Cassio Longino in iuris disciplina successisse traditur à Pomponio, plurimumq; Vespasiani temporibus potuisse. Cornelius autem Tacitus lib. 17. ab Othone destinatum ei bimestrem cōsulatum cum Flauio Sabino scribit: à Calend. Maij ad Calendas Iulias. eiusdem Gellius li. 7. c. 4. meminit, quem ait scriptum reliquisse Pileatos seruos, vnum solitos ire, quorum nomine venditor nihil præstaret.

PEGASVS I. C. Proculo in iuris ciuilib. disensione successisse traditur à Pomponio: præfectusque vrbis Vespasiani temporibus fuisse. creditur is esse Pegasus, quo cōsulatum cum Perusione gerente S. C. factū est, quod vulgò Pegasianum vocatur, vt ei qui rogatus esset hæreditarem restituere perinde liceret quartam partem retinere, atque ex l. falcidia ex legatis retinere conceditur, vt Iust. lib. Instit. 3. sub tit. de fideicom. hæredita. testatur. De hoc illud est Iuuenalis Satyra 4.

*Pegasus attonita positus modo Siculus Sobri,
Anne aliud tunc præfedit quorum optimus, atq;
Interpres legum sanctissimus.*

PRISCVS Iauolenus I. C. Cælio Sabinō in iuris ciuilib. disensione successisse traditur à Pomponio. Vixit autem Adriani & Antonini Pij temporibus. Capitolinus. n. in huius vita scribit, Iauolenum in iure constituendo magno huic Imperatori vsui fuisse. Hunc Iulianus præceptorem suum fuisse scribit in L. au. apud se, 5. D. de manumiss. vind. & in Africa & Syria cum imperio fuisse iurisdictionemq; exercuisse testatur. Plinius autē Secundus epistolarum lib. 6. Historiam de eo commemorat, quam propter iucunditatem adscribere est melius. Mirificæ rei nō interfuisse, ne ego quidem, sed me recens fabula excepit. Passenus Paulus, splēdidus eques Romanus, & in primis eruditus, scripsit Elegos: gentilitium hoc illi. Est. n. muniiceps Propertij, atq; etiā inter maiores Propertium numerat. Is cum recitaret, ita cepit dicere, Prisce iubes: Ad hoc Iauolenus Priscus, Ego vero non iubeo. Cogita qui risus hominum, qui ioci, qd est omnino Priscus dubia sanitate. Interest tamen officijs, adhibetur consilij, atq; etiam ius ciuile publicè responderet: quo magis, quod tūc fecit & ridiculum, & notabile fuit, Interim, paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tam sollicitè recitaturis prouident

uidendum est, non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant.

CELSI duo I. C. pater & filius, à Pomponio memorantur, Pegasianamq; sectam secuti traduntur. Spartian⁹ autem in Adriano de altero scribit his verbis: cum iudicaret, in consilio habuit nō amicos suos, aut comites solum, sed I. C. ac precipuè Iulium Celsum, Sabinum, Iulianū, &c. filium autem bis Consulem fuisse Pomponius testatur. Eius aut respōsum extat in l. p. 29. D. de l. 2. in quo patrē suum in consilio diui Veri Consulis qui de fideicommissio ius dicebat, fuisse testatur, hunc Iuuentium Celsum fuisse lex proxima declarat.

PRISCVS NERATIUS I. C. à Pomponio numeratur, traditurq; Pegasianam sectam, cum Iulio Celfo filio tenuisse, & cum eo cōsulum gessisse, Spartianus aut in Adriano de eo sic scribit: Frequens sane opinio fuit Traiano id animi fuisse ut Neratium Priscum non Adrianum successorem relinqueret, multis amicis in hoc cōsentientibus, vsq; eo ut Prisco aliquando dixerit, cōmendo tibi prouincias, si quid mihi fatale contigerit. Item aliquanto post, cum Adrianus iudicaret, in consilio suo habuit non amicos suos, aut comites solum, sed Iureconsultos & precipuè Iulium Celsum, Neratium Priscum, aliosq; quos tamen senatus omnis approbasset.

ABVRNIUS VALENS I. C. nominatur à Pomponio & Iauoleno Prisco in Iuris ciuili disciplina successisse, Capitolinus autem in Antonino Pio Saluum Valentem inter eos I. C. numerat, quibus Antonium Pium vsu tradit, ut hunc nostrum Saluum Valentem Aburnium appellatum fuisse verisimile sit. Alburnius enim non Alburnus in florentinis libris scriptum reperio.

TUSCIANVS I. C. nominatur à Pomponio, & Iauoleno Prisco in Iuris ciuili disciplina successisse traditur, ei⁹ tamen nusquam mentionem reperio, vereorq; ne pro Tito Metiano scriptum sit Tusciano. Nam T. Volusum Metianum vna cum Valente Capitolinus in Antonino coniungit: cui Valenti Tuscianum Pompon. socium attribuit.

SALVIUS Iul. I. C. nominatur à Pomponio, traditurq; Pegasianorum sectam secutus fuisse. Hunc Didij Iuliani qui post Pertinacem imperium R. adeptus est, proauū fuisse Spartianus scribit: quem adscribit bis Consulem, præfectum vbi, & I. C. fuisse: q; magis, inquit, cum nobilem fecit. In Adriano vero idem scribit Iulianum hunc semper ab eodem Imperatore in consilio adhibitū fuisse, cum res iudicaret. Eutropius autem li. 9. hunc ipsum sub eodem Imper. Adriano perpetuū edictum cōposuisse scribit. Quod ipsum Iustinian⁹ cōfirmavit, in l. 2. C. de vet. iur. enucl. vbi Iulianum legum & edicti perpetui sublimissimum conditorem appellat. Itemq; l. pen. C. de cōd. inde. Vbi Saluum Iulianum sublimissimum testem, summaq; autoritatis hominem, & Prætoriani edicti ordinatōre fuisse scribit. Et in l. antequam C. de vsufr. summū iuris scientiæ auctorem nominat, ipse autem in l. an apud se. D. de manumiss. vind. testatur se Iauolenti auditorem, ac discipulum fuisse. Hactenus Pomponius.

VOLVSIVS Metianus I. C. in pandectarū libris celebratur, interq; iuris auctores præcipuos numeratur. Eo cōsiliario Antoninū Pium, magistro Antoninū philosophum vsu esse, Iulius Capitolinus tradit. Metianū item alterū, huius fortasse filiū Lampridius Alexandri Imp. in consilio cum Africano, Florétino, Pomponio, Paulo cōmemorat.

MARTIANVM Iurisconsultum Lampridius inter Alexandri Imp. cōsiliarios numerat, & Vlpiani, Pauli, Pōponijq; aliorumq; complurium æqualem facit.

L. CERVIDIVS Scæuola I. C. M. Antonini Philosophi cōsiliarius fuisse traditur à Iulio Capitolino: Maximoq; vsui suo Imperatori fuisse. Hunc inter Principes & Coryphæos Iurisconsultorum numerat Modestinus in libro de excusationibus. Quin & Theodosius Imper. lib. Theodosiani Codicis IIII. sub titulo de Testament. leg. 3. prudentissimum Iurisconsultum appellat.

ÆMILIVS Papinianus Iurisconsultus præfectus prætorio, Septimio Seuero imperante fuisse traditur à Spartiano, qui eum iuris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, appellat, Item aliquanto post Papinianum amicissimum fuisse Imper. Seuero, & vt aliqui loquuntur, asinum et per vxorē Secundā, memoriæ traditur & huic precipuè vtrumq; filium à Seuero cōmendatum, eumq; cum Seuero pfectum, sub Scæuola & Seuero in administratio-

ne fisci successisse, atq; ad hoc concordia fratrum Antoninorū fuisse, egisse quinetiam ne occideretur, cum iā de infidijs eius Bassianus quereretur, atq; ideo vna cū his qui fautores fuerunt Getæ, a militib. nō solum permittēte, sed et suadente Antonino occisum. Multi dicunt, Bassianū ocisō fratre illi mandasse, vt & senatu per se & apud populū, facinus dilueret: illum aut respondisse, Nō tam facile patricidium excusari posse, q; fieri. Fertur etiam, Papinianum cum raptus à militib. ad Palatium traheretur occidend⁹, prædixisse dicentem stultissimum fore, qui in suum subrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter præfecturam vendicaret. Eius discipulos Lampridius in Alexandro numerat Pomponium, Alfenum, Africanum, Florentinum, Martianum, Calistratum, Hermogenem, Venuleium, Triphonium, Medianum, Celsum, Proculum, Modestinum. Assessores autem eiūdem Paulum & Vlpianum. Triphonius in l. rescriptum 12. ff. de dist. pig. de eo ita scribit: Rescriptum est ab Imperatore, libellos agente Papiniano: cum libellorū magister esset. Eundē Spartian⁹ ab Antonino Caracalla qui fratrem interfecerat, cu ab illo factū hoc improbaretur, necari iussisse scribit. Papinian⁹ inquit, securi percussus est, & à militib. occisus. quo factō Imper. percussori dixit: Gladio te exequi oportuit meum iustum. Eius hoc Epitaphium in libro Antiquorum epigrammatum reperi. D. M. Æmylio Paulo Papiniano præfect. prætor. I. C. qui vixit annis xxxvi dieb. X. M. III. Papinianus Hostilius Eugenia Gracilis turbato ordine in senio heu parentes fecerunt filio opt.

FABIVS Sabini I. C. pater & fili⁹ memoratur. Filius à Lampridio Cato sui tēporis appellatur, & inter Alexandri Seueri cōsiliarios cū Vlpiano Paulo, alijsq; cōplurib. numeratur.

DOMITIVS Vlpianus I. C. Phœnice Syriæ vrbe natus, quemadmodū ipse in l. i. D. de censib. testatur, Cōsiliarius Alexandri Seueri & magister Scriuij, Papinianiq; præfecti prætorio assessor cum Paulo fuisse traditur à Lampridio, magnosq; in honore apud suū Imperat. & primum doctissimum Iurisperorū & principū fidelium fuisse. Neq; vquam Alexandrum solum nisi Vlpianum præfectum suum vidisse, & assessore semper suo, causa iustitiæ singularis. cū autem alterum adhibuit, & Vlpianum rogari iussisse. Et aliquanto post: Vlpianū, inquit Alexander pro tutore habuit, primum repugnante matre deinde gratias agente, quem sapē à militum ira obiectu purpuræ summe defendit: atq; ideo summus Imperator fuit, q; eius consilij præcipue rem publicā rexit. Itaq; idē Imper. in l. 4. C. locat. præfectum prætorio & parentem suum appellat. & in l. 4. C. de contr. stip. rescriptum suum sic exorditur. Secundum responsum Domitij Vlpiani præfecti annonæ, Iurisconsulti amici mei, ea quæ stipulata est, &c. Xiphilinus è Dione scribit, ei ab Alexandro Imper. præfecturam Prætorianorum datam, ceteraq; quæ ad Imperij administrationem pertinent, ei permisisse. Cum autem Vlpianus multa quæ non rectè à Sardanapalo facta erant emendasset, ipsum non mulo post à Prætorianis, qui de nocte eum inuasērunt, interfectum esse: quanquam in palatium ad Imperatorem eiusq; matrem confugisset. Hunc eundem Modestinus in lib. de excusationib⁹, præstantissimum, & cum Paulo ac Scæuola Iurisconsultorum coryphæum ac principem appellat. Diocletianus autem in l. diuo Marco C. de quaest. prudentissimum. Iustinianus in l. vlt. C. de instit. & substit. disertissimum: in l. vn. §. ne autem C. de cad. toll. summi ingenij virum.

IULIVS Paulus Iurisconsultus Cōsiliarius Alexandri Seueri & Papiniani præfecti prætorio, assessor vna cum Vlpiano fuisse traditur à Lampridio: qui eundē præfectum vel ab Hellogabalo, vel ab eodem Alexandro fuisse adscribit. Etiam de assessorie sua mentionem facit in l. lecta D. de reb. cred. Libros in iure ciuili tam multos scripsit, vt facile in eo genere superiores omnes vicerit.

HERENNIVS Modestinus, Vlpiani fuisse discipulus videtur. Hic enim sic scribit in l. si quis, quinquagesima secunda. D. de furt. Si quis asinum meum coegisset, furti nō tenetur, nisi furandi animum habuit, quod & Herennio Modestino studioso meo de Dalmatia consulenti rescripti, &c. Gordiano Imperatore floruit. vt constat ex l. 5. C. ad exhib. vbi Imperator eum non contemnendæ autoritatis Iurisconsultum vocat. Arcadius Charisius in l. vlt. D. de munerib. & honorib. scribit eum & notando & disputando benè & optima ratione quædam decreuisse.